



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Hedvvigis Andecensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. HEDWIGIS

ANDECENSIS.



Edvvigem (a) Bertoldo (b) Andecensi viro illustris-
simo natam constat, quem nonnulli primum (c) Me-
raniae ducem, comitemque Tiroleos laudant, à quo
Hedvvigis (d) Henrico Barbato Silesiae & Poloniae prin-
cipi nupta, senis editis liberis, concepto voto castimo-
niam, marito annuente, constanter per triginta an-
nos coluit, corpusque adeo dure habuit, uti summa hieme, cun-
ctis gelu rigentibus, nuda pedes, per niues incederet. Cibum gusta-
uit nunquam, nisi prius eundem egentibus, quos de nos ternos ad
numerus Christi & Apostolorum ubique secum habuit, flexo po-
plite ministrasset. Lumbos horrente setis veste strinxit, Vigilijs, in-
edia, flagris grauissimè se afflixit. Vnde magnis à Deo dignata be-
neficijs, futura praedicere, egros curare, arcana pectorum aperire,
incessum claudis, lumen caecis dare poterat, ut alia innumera, mul-
tis paginis à varijs scriptoribus celebrata taceantur. Rem diuinam
ita assidue audiebat, ut ubicunque posset (e) sacrificanti Sacerdoti ad-
esset. S. Benedicti alumna religiosam vitae disciplinam acerrimè ob-
seruauit, votis continuis addicta, quam olim ad Christi de cruce pē-
dentis effigiem preces fundentem, imaginis dextra clauo soluta, in
bene precantis modum cruce (f) signauit. Tandem à caelitibus inuita-
ta, Cracouiae Idibus Octobris Anno P.C.N. CIO.CCXLIII. in caelestē
aulam emigravit. A Clemente postea IV. consecrata, Diuisque re-
liquis quarto & vicesimo post mortem anno adscripta. In Chroni-
cis MSS. Franciscan. lego de hac in haec verba. *Hoc anno Idibus Octob.*
in Viterbio est canonizata per Dominum Clementem IV. pontif. ejus anno III. Ve-
nerabilis Hedvvigis, olim Ducissa Poloniae, quae post suum felicem transitum pluri-
mis prodigijs miraculorum claruit.

Ioachimus Curéus, quem Scherer, interpreteris, in Silesiae mo-
numentis & annalibus Hedvvigis res gestas persecutus est, homo ab
Ecclesia Romana alienus, qui tamen illam caelo non deturbabat, sed
vltro fatetur sanctam beatam, & omni virtutum genere ornatam.
Nauos interim suos illi fuisse, quod castimoniam, annuente viro,
coluerit: quod sacras Dei Diuorumque iconas venerata sit: quod parē-
tum ac liberorum mortē constantiori animo, quam feminae solent,
tulerit. Hosce nauos quis non videt eximias & nunquam satis lau-
dandas

Bb 3

datas

DE S. HEDWIGE

datas fuisse virtutes. Sed ineptus scriptor Hedvigem simul inter idololatrias collocat, & caelo transcribit, inmemor, nullam esse communicationem luci cum tenebris, nec posse nos duobus dominis feruire. Sed missos faciamus hosce Doctores: caeci sunt & duces caecorum. Impingit illi etiam notam damnatarum nuptiarum, cum neque illa matrimonium contemserit, neque Ecclesia (vt improbus improbe mentitur) coniugium proscripserit vnquam, aut proscribat, sed illud cuiusque arbitrio permittat, melioraque consilia sequentibus minimè repugnet.

(a) Ita omnes historici. (b) Chron. And. Laſum, alij. (c) Cromerus lib. 7. Carinthia & Moravia ducem nominat. In vita apud Surium, & Chronico Andecensi Merania & Tiroleos. comes appellatur rectius. nec enim Moravia, sed Merania princeps fuit. Laſum ducem Istria Bertoldum tertium Hedvigis patre affirmat.

(e) Hinc ille versiculus: In solâ Missâ non est contenta Ducissa.

Quot sunt presbyteri, tot Missas optat haberi.

(f) in ejus vita apud Surium.



B. ALBER-